17. 16

PROPOSITIONES THEOLOGICÆ

QUAS

PUBLICE DISCUTIENDAS PROPONIT

D. ANDREAS SAVJ

CONGREGATIONIS SILVESTRINÆ

ORDINIS SANCTI BENEDICTI MONACHUS

Et in Monaſterio S. Stephani ſupra Cacchum de Urbe

Sacræ Theologiæ Auditor

SUB ASSISTENTIA

D. BENEDICTI BARTOLONI THEOLOGIÆ LECTORIS

Facta cuilibet poſt tertium arguendi facultate.

ROMÆ MDCCLXXX.

TYPIS MICHAELIS ANGELI BARBIELLINI AD MINERVAM.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

SCIPIONI . BVRGHESIO

R. E. PRESBYTERO . CARDINALI

TIT. S. MARIAE . SVPRA . MINERVAM

QVEM

AVITA . CIVILITATIS . PRVDENTIAE . MVNIFICENTIAE

EXEMPLA : SECTANTEM

FERRARIENSIVM . POPVLORVM . FIDEI . ET . RECTIONI

SVAE . CREDITORVM

FELICITATI . VERE . NATVM

EXTERI . ADMIRATI . FVIMVS . INDIGENAE . SENSIERVNT

ET . GRATVLATI . SVNT

QVI . PROPTEREA . INDITVM . PROSAPIAE . SVAE . ERGA

PRAECLARA . STVDIA . AMOREM . ITA . COLIT

VT . EODEM . BENEVOLENTIAE . SINV

ET . LITTERAS . ET . LITTERATOS . VIROS . EXCIPIAT

THEOLOGICAS . HASCE . THESES

D. ANDREAS . SAVJ . CONGREGATIONIS . SILVESTRINAE

ALVMNVS

L. L. D. D.

Digitized by Google

Digitized by Google

De Religione Moſaica .

I.

1. De vera Religione , qua impenſe vereri Deum debemus , diſputaturi nulla percellimur admiratione , ſi eam hac noſtra ætate atro dente a Libertinis impetitam eſſe conſideremus . Nam , ut diſerte ait Tertullianus Scorpiace n. VIII. „ Statim ut coli Deus cœpit , invidiam Religio ſortita eſt . Qui Deo placuerat , occiditur , & quidem a fratre „ . Et ut eleganter monet Lactantius de fal. Relig. num. IV. „ Amara ſunt vitioſis , ac male viventibus præcepta juſtitiæ „ . Vera Religio una eſt , quemadmodum unus eſt Deus, ad quem, cum ſit omnium Dominus, cultum, quem vult , ſtatuere ſpectat : ac proinde eſt a Deo revelata . Qui pro viribus illius jugum excutere contendunt , eique tantum ſtudent Religioni , in qua liberius indulgere ſuis libidinibus poſſint , revelationem impoſſibilem plenis buccis crepant , veluti divinis attributis , naturalique rationi adverſam . Verum (oh inſipientes , & miſeri !) divina revelatio poſſibilis eſt , Dei attributis maxime conſentanea , atque naturali præterea rationi minime contraria .

I I.

2. Quid revelatio præſtat ? Mentem illuminat : mores componit : cultum dirigit : ſocietatis vincula , ac fœdera confirmat : rectam ſervat viam , ac rationem : miſeris perfugium , ac ſolatium præbet : moderamen felicibus : malorum , quibus urgemur , originem pandit , innuitque medelam . Atne tot , tantaque bona a nuda naturali ratione , etſi excultiſſima , poſſumus accipere ? „ Hæc ,

„ ut Hieronymi verbis utar, doctus Plato neſcivit, hæc Demo-„ ſthenes eloquens ignoravit „. Itaque prono velut alveo per ſe fluit divinam revelationem eſſe ſummopere utilem.

III.

3. Sed eſt etiam neceſſaria. Quæ enim principia nobis ſuggerit Religio naturalis, ſatis ea non ſunt, ut vitam probe inſtitutam ducamus. Ecquod ſane eſt illud medium a naturali lumine oblatum, quo ſuffulti intima, quæ etiam inviti patimur, certamina vincere poſſimus, debitaque elicere officia? Quodnam illud præſidium, quod nos a malis, ærumniſque hujuſce vitæ undique jactatos ſuaviter recreet, ac reficiat, inque culpas prolapſos ad priſtinam bonitatem iterum reſtituat? Quænam demum eſt illa legis naturalis ſanctio, quæ homines a turpibus vitiis ad jucundas virtutes invicte revocet? Verum hæc in Religione naturali ſi minus deſiderantur, at certe omnino non obtinentur. Quin hæc ita vera ſunt, ut ipſi ethnici Philoſophi naturalis rationis percepta brevitate, alterius clarioris luminis, quod illius diſpellens caliginem meliorem hominum conditionem efficeret, ultro neceſſitatem falſi ſint: qua de re præclare divinus Plato Alcib. II. ajebat „ Neceſſarium eſſe „ expectare, donec quis diſcat, quo animo & erga Deos, & erga „ homines eſſe oporteat „.

IV.

4. Poſita divinæ revelationis neceſſitate ecquis non videt ejuſipſius exiſtentiam inde proficiſci? Deus enim omnium conditor, parens, atque conſervator in neceſsariis creaturis ſuis deeſſe nequit: hinc „ multifariam, multiſque modis olim Deus loquens Patribus „ in Prophetis noviſſime diebus iſtis locutus eſt in Filio, quem con-„ ſtituit hæredem univerſorum, per quem fecit & ſæcula „ Heb. cap. I. En hic duplex a Deo facta revelatio: altera ſcilicet veteribus Patribus: altera nobis. Utrique ſua ex æquo proeſto eſt Religio: tum Vetus nimirum, eaque duplex, altera ab ipſo Mundi, hominumque exordio, de qua nihil peculiare adtinet dicere, quum in Moſaica potiſſimum contineatur; Moſaica altera; tum demum Chriſtiana. Atque ut recta ratione procedamus principio de Moſaica revelatione diſſerendum eſt; & a Pentateuchi Auctore initio ducto illum fuiſse Moyſem propugnamus, quem certo ſcimus non fictam, ac larvatam fuiſſe perſonam, ut hujus ſæculi philoſophantium gens inaniter contendit. Quidquod magnos ſe nonnulli credunt, ſi magna faſtidiant? Et quod ajebat ille, *ut putentur ſapere, cœlum vituperant*.

5. Mo-

Digitized by Google

V.

5. Moleſte, ac gravate ferunt inſenſiſſiſſimi Religionis revelatæ oſores Pentateuchum noſtrum. In eo enim eximia intuentur argumenta, quibus perditiſſima eorum cauſa penitus oppugnatur: quare in illum virus omne ſuum evomentes per vias, & plateas, uti dici ſolet, ubique falſum ſumma audacia decantant. At quod bonorum omnium indignationem nanciſcitur, eſt illa animi vis, qua ulla ſine ratione eidem veterum exoticorum hiſtorias opponunt, inque iis, quæ eorum, ut ajunt, ſyſtemati favent, fidem omnem adhibendam eſſe philoſophica auctoritate definiunt. Sed „ o miſe-
„ ros homines, liceat cum Auguſtino exclamare tract.xc. in Joh.
„ num.III., qui cum volunt eſse mali, nolunt eſſe veritatem, qua
„ damnantur mali „! Nos qui nullo partium ſtudio abrepti veritatem unice inquirimus, pro certo exploratoque habemus Pentateuchum Moyſis eſſe uſquequaque veracem.

V I.

6. Pſeudo-philoſophi hujus ſæculi, ut unde unde falſitatis criminentur Pentateuchum, e cineribus ſuſcitare audent male feriatam Præadamitarum fabellam, quam omnium primus in orbem invexit Iſaac Peyrerius Calviniano Dogmati jam addictus, & quam dein mutato conſilio ejuravit. Verum argumentorum vis, quibus connituntur, inanis omnino eſt: ſiquidem tum omnium gentium hiſtoriis, quibus ſane ita abundamus, ut

. . . . „ *loquacem*
Delaſſare valeant Fabium.

tum intimo animi ſenſui contrariam eſſe præclare evincitur. Non eſt ergo cur de Adamo omnium hominum capite, ac parente quiſquam dubitet. „ Narraverunt mihi iniqui fabulationes, ſed non ut
„ lex tua „. Pſal.cxviii.

V I I.

7. Moyſes ſane vera nobis retulit. Is enim rerum, quæ Geneſim ſpectant, certam callere potuit, & revera calluit cognitionem; aliarum contra rerum, quas reliquis enarrat in libris, fuit teſtis oculatus. Atque adeo plura vaticinatus eſt futura, quæ adamuſſim eventu comprobata tarda ætas conſpexit. Ad ſydera uſque utique efferant hujus tempeſtatis Increduli Ægyptiorum fabulas de mundi antiquitate, eaſque Moſaicis præferant narrationibus. Nos vero fidem omnem noſtram Moyſi præſtamus. „ Cui enim, ait
„ Auguſtinus lib.xviii.de Civ.Dei cap.xl. narranti melius præterita
„ credemus, quam, qui etiam futura prædixerit, quæ præſentia
„ jam videmus? „

Digitized by Google

VIII.

8. Pentateuchus falſus dici poſſet, & imponendi gratia conſcriptus, ſi Moyſes ejus Auctor decipiendi animo ſemel fuiſset imbutus. Et quidem, qui ejuſdem auctoritatem in dubium adducere conantur, non eos pudet Moyſem ceu manifeſtum Sycophantam traducere, atque criminari. Porro ſi mentiendi Moyſi erat ingenium, cur ei, quæſo, univerſus Iſraëliticus Populus libenti animo ſe fidit, ut illo duce, atque patrono ex Ægypto educeretur? Cur in deſerto degens ejus mandato circumciſioni quadraginta annis omiſsæ victas dedit manus, faſceſque ſubmiſit? Cur feſtis, cæremoniis, ac ritibus ab eo inſtitutis, ne glorioſa antea patrata facinora ex ejus mente exciderent, ſe ultro ſubſcripſit? Quæ ſane omnia meridie clarius conficiunt minime Moyſen fallere voluiſſe.

IX.

9. Immo etſi decipere voluiſset, non tamen potuit. Moyſes namque dux erat ingentis populi, quem ex Ægyptiaca Captivitate liberatum ad Terram promiſſam, Deo ſignis, ac prodigiis favente, perducebat. Atqui haudquaquam poterat, etiam ſi voluiſſet, univerſam integram nationem in deceptionem inducere: Ecquis enim ignorat impoſſibile eſſe, ut omnes homines ſimul, & univerſim inſaniant, ac deſipiant? Stultitia enim univerſalis hominum naturæ repugnat. Quod quidem generale principium, omnibuſque notum urget etiam, dum ſermo eſt de gente integra, & numeroſa. Nonne revera inſaniiſſent omnes ad unum Judæi, dum crediḍiſſent ſe audiviſse, vidiſſe, & egiſſe, quæ tamen non audiverunt, nec egerunt, nec viderunt? Nonne quoque deſipiiſſent, dum ob falſa prodigia duram, & aſperam legem accipiunt ab eo, quem certo ſciunt Legiſlatorem non eſse? Egiſſent quippe contra innatum Libertatis amorem. Nonne demum ſumma dementia eſt gentem integram propriæ ſe ſubſcribere infamiæ, quam fictitiam eſſe eam non fugit? Ita enim ſumus natura comparati, ut nulla nobis velimus falſa crimina imponi. Hominum itaque naturæ, ac indoli repugnat Moyſem decipere potuiſse, etiamſi voluiſſet.

X.

10. Pentateuchi veritatem apodictice conficiunt miracula, quæ Deus in illius confirmationem edidit. Pollentne conſpicuis, certiſque prodigiis ſcriptorum exoticorum hiſtoriæ, quas tanti faciunt Libertini, ut eas noſtro Pentateucho temere præferant? Certam eorumdem vim ſentiunt ipſi; ac proinde „ ea, ut inquit Tertullia„ nus in Apolog., malunt neſcire, quia jam oderunt„. Sed procul, o pro-

o procul eſte prophani . Pentateuchus noſter uſquequaque miraculis refertus eſt , & præ aliis hiſtoriis veritatem præſefert .

X I.

11. Miracula poſſibilia ſunt . Verum qui eorumdem poſſibilitatem negare auſint , Supremi Numinis exiſtentiam haudquaquam agnoſcere volunt . Si enim Deus exiſtit , prout veriſſimum eſt , generales Naturæ leges ſtatuere debuit , quas , cum pleniſſima fruatur libertate , ubi vult , & quando vult , immutare potis eſt . Et ſane res ita ſe habet . Deus enim , cum ſemper ſit Dominus tum omniparentis Naturæ , tum multo magis etiam elementorum , ei ſumma eſt poteſtas certas , ſtataſque leges ſubſtinendi , ac contra propriam earumdem indolem , atque vim agendi . ,, Deo nihil eſt impoſſibile , niſi quod non vult ,, ut diſerte inquit Tertullianus lib. de Car. Chriſti num.11.

X I I.

12. Prodigia duplici ratione naturæ creatæ facultatem excedunt : habito ſcilicet reſpectu ad ſubſtantiam , & modum . Mortui reſurrectio primi generis eſt : Alterius vero ſanatio a languore permutatis contra naturæ ordinem ſingularum facultatum officiis perpetrata . Quis autem hæc efficere poterit niſi ſolus Deus ? Is enim unus potenti ſua voluntate ſicut morbos expellere oppido poteſt , ita poſt mortem novam concedere Vitam . Quis ſiquidem alius naturæ legibus poteſt imperare , quam qui eas ſancivit ? ,, Non eſt poteſtas , ait Jobus , quæ comparetur ei ,, .

X I I I.

13. At Cacodæmones nonne mirifica operantur , ajunt deſinientes ex tripode Libertini ? Sed a nobis procul hæc animi ſenſa . Cacodæmonibus ſiquidem hujuſmodi facultas anguſtis admodum coercita limitibus eſt . Prima quidem , ut ajunt , fronte efficiunt portenta , ſed cauſſarum naturalium ope , ac præſidio , quas præ nobis probe noſcunt . Præſtigias eliciunt quoque ad homines decipiendos , ut quod non eſt , oſtendant , aut impediant , quominus , quod re ſane vera eſt , adpareat . ,, Lædunt enim primo , inquit ,, Tertullianus in Apolog. (Dæmones) ; dehinc remedia præcipiunt ,, ad miraculum nova , ſive contraria , poſt quæ deſinunt lœdere , ,, & curaſſe creduntur ,, .

X I V.

14. Si itaque prodigia ſolius omnipotentis Excelſi dexteræ germana ſunt opera , nemo profecto maximam eorumdem probandi vim in dubium adducere audebit . Sicut enim ſigillum Regis veracitatem Chyrographi , cui ineſt , invicte Civibus conficit , ita quo ma-

magis Miracula veritatem eorum, in quorum confirmationem facta ſunt, certam, atque firmam efficient? Deus quippe, ut mentiri, & falſum dicere prorſus nequit, ſic nec prodigia patrare poteſt ad errorem, & fraudem hominibus ſuadendam. Quidquod Miracula ut Dei opera, ita velut ejus vox, & ſermo ſunt? hoc eſt ſolet ille ut verbis ita prodigiis ſuæ mentis cogitata mortalibus aperire, perinde ac homines, qui ſui intimos animi ſenſus verbis, aut ſignis pateſacere conſueſcunt. „ Deus, inquit Auguſtinus, mi„ rabilibus operibus loquitur „. Ep. XLIX.

X V.

15. Alterum veracitatis Pentateuchi argumentum eſt ingens Oraculorum numerus, quibus refertus eſt. Hæc quidem poſſibilia ſunt. Quid enim eſt prophetia, niſi explicita quædam revelatio a Deo mortalibus facta de rebus liberis, & contingentibus, quarum cognitionem nemo, etſi Galilæo, ac Nevvtono acutior, poteſt ſibi naturaliter comparare? Et ſane ejuſmodi revelatio poſſibilis eſt, & ab omni abſurditate, omnique contradictione prorſus aliena. Quem enim fugit Supremum Ens Dominum eſſe, ac Regem tum ſpirituum, tum corporum? Quis ignorat eum ipſum maxima tam ſuper ſpiritus, quam ſuper corpora pollere poteſtate nullis circumſcripta limitibus?

X V I.

16. Prophetia quidem, ad quam „ propriiſſime pertinet reve„ latio eventuum, unde & nomen ſuum ſumi videtur „, a ſolo Deo proficiſcitur; ſolus enim ipſe Rex eſt, ac Dominus temporis; ac propterea illud ab æternitate tamquam præſens intuetur ſine præteriti, futurique viciſſitudinibus: hinc Iſaias cap. XLI. inquiebat. „ An„ nunciate nobis, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia „ Diis eſtis vos „. Et quidem ſi alium prophetia a Deo auctorem agnoſcit, cur quæſo, Cacodæmones, ut ab hominibus, quos fallebant, honorem divinum ſibi captarent, futura vaticinari ſimulabant. „ Æmulantur divinitatem, dum furantur divinationem „. Scite ſcribit Tertullianus in Apolog.

X V I I.

17. Si Oracula eximia, ac præcellentia ſunt ſolius divinitatis opera, neceſſario conſequitur maxima illa probandi virtute fulciri. Nec aliter res ſe habet. Nonne enim Oracula vera, & proprie dicta intimo, atque arcto nexu ſunt cum veritate conjuncta? Cui nam niſi impio, atque Atheo in mentem venire poteſt, Deum, qui eſt fallere, fallique ignarus, quique propterea eſt ipſa veritas, Oracula fundere ad hominum deceptionem, atque perniciem? „

„ Ido-

„ Idoneum teſtimonium divinitatis veritas divinationis „ . Ait laudatus Chriſtianæ Religionis Athleta Tertullianus ibidem .

XVIII.

18. Igitur, cum Oracula eorum, in quorum confirmationem edita ſunt, veritatem efficaciter oſtendant, jam Pentateuchus noſter extra omnem dubitationis aleam verax dicendus eſt. Nam permulta complectitur Vaticinia effectum ſuum plane, ac plene conſecuta, ex quibus quædam hic non pigeat in medium afferre: Moyſes cap.xiv. Exodi ait ad populum. „ Nolite timere: State, & vi- „ dete magnalia Domini, quæ facturus eſt hodie: Ægyptios enim, „ quos nunc videtis, nequaquam ultra videbitis uſque in ſempiter- „ num. Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis „ . Horum autem, quæ Moyſes hic enunciat, prædictionem minime feſellit exitus; Iſraël enim vicit Ægyptios, ceſſavitque a murmure, & a querelis. Numer. xiv. idem Moyſes Iſraëlitis mortem in ſolitudine potius, quam bella adverſus Chananæos exoptantibus rem votis ex æquo ſucceſſuram vaticinatur, omneſque a viginti annis, & ſupra, Caleb, & Joſue exceptis, morituros, atque eorum parvulos terra promiſsa potituros. Vaticinationi eventus omnino reſpondit. Ex quibus perſpectum habemus Pentateuchum veris non eſse deſtitutum Oraculis: adeoque veracem eſse.

XIX.

19. Pentateuchum depravatum obganniunt Increduli; ſed ſine ulla omnino ratione. Ad nos enim uſque illum ſaltem in eſſentialibus integrum deveniſse hoc, quod ſequitur, unum invicte ſuadet argumentum. Si qua namque in eſsentialibus Pentateucho contigit immutatio, hanc dumtaxat potuerunt inducere vel Judæi, vel Chriſtiani. Nemini vero alios ab iis diverſos exiſtere potuiſſe interpolatores fas eſt excogitare. Verum nec Judæi, neque Chriſtiani temerarias manus in præfatum librum injicere potuerunt. Non Judæi; habebant enim illi Pentateuchum, ut librum divinum; atque adeo ſummo ſtudio, ac cultu aſſervabant: Unde potiuſquam eum violare præſumerent, dies, nocteſque quietis expertes cuſtodiebant: Non etiam Chriſtiani; ſi enim ii aliquid adverſus Pentateuchum ſuſcepiſſent, illico corruptæ, ac violatæ Scripturæ a Judæis eorum diris, ac infenſis hoſtibus incuſati fuiſſent. Quis itaque non continuo intelligit impoſſibilem prorſus fuiſſe Pentateuchi noſtri uuam vel minimam adulterationem eſſentialibus inſpectis?

XX.

20. Sed Pentateuchus non verax modo eſt, ſed etiam divinus. Divinæ enim ſunt doctrinæ, & leges, quas ille uſquequaque comple-

plecti-

plectitur. Divina quidem certe doctrina eſt. Hæc foetus minime eſt humani ingenii, & ſagacitatis. Quo fieri potuit, ut dum Ægyptii, quibuſcum Iſraëlitæ ducentis, & amplius annis commorati fuerant, bovem, & crocodilum divino honore proſequuntur, ſolus Iſraël Deum verum impenſe colat? Unde eſt, ut dum illi Græciæ ſapientes diſputant, digladiantur inter ſe, incertiſque fluctuant opinionum ambagibus, ſolus Iſraël uno, atque certo intuitu divina attingit Arcana? Quid ſane hæc ſignificant niſi Moſaicæ doctrinæ divinitatem? Leges etiam divinæ ſunt. Quoſnam enim illæ humanarum legum præſeferunt characteres? Plane nullos. Moyſes namque non a populo, ſed a Deo ſelectus legem condidit. Statuta ab eo lex non, ut humanæ, populorum tantum ſpectat utilitatem, verum potiſſimum pium, ac religioſum cultum Deo præſtandum. Demum in illa lege nullæ factæ ſunt mutationes, quibus humanæ leges ſunt quam ſæpiſſime obnoxiæ. Leges ergo in Pentateucho contentæ etiam ſunt opus divinitatis.

X X I.

21. Poſita Pentateuchi veritate, atque divinitate ſponte veluti ſua fluit veterem Moſaicam Religionem veram fuiſse, ac divinam. Id enim perſpicue oſtendunt tum cultus, quem decernit, tum maxime miracula, atque oracula, quibus ceu eximiis divinitatis ſigillis fuit obſignata. Quid plura? Populus Iſraëliticus licet rudis, ac exiguus huic addictus Religioni Gentium finitimarum ſacra aſpernatur, falſa numina riſu excipit, invictiſque refellit argumentis. „ „ Quis tantam, egregie ad rem ait Simonius in ſuo Tract. de Relig. „ ſapientiam populo, cæteroquin ignariſſimo indidit? Undenam „ Moyſes inter Ægyptios educatus tam exquiſitas hauſis ideas? Un- „ denam Magiſtrorum ſuorum numina tam ſapienter irridere, at- „ que abjicere didicit? Sane Dei digitum cœcus ſit, qui hic non „ videat „.

X X I I.

22. Ecquid Religio hæc Moſaica in ævum erat duratura? Minime quidem. Exceptis namque præceptis moralibus, quæ immutabilia ſunt, quemadmodum immutabilis eſt Deus, reliqua præcepta judicialia ſcilicet, & cæremonialia finem ſuum erant ſortitura. Ipſamet Moſaica Religio interitus ſui habebat argumenta haud obſcura præter naturalem ſuipſius conſtitutionem, quæ ad exitum vergebat. Siquidem promittebat uberiorem revelationem qua Dogmatum, qua auxilii. „ Prophetam, Deus Moyſem alloquens Deuteron. „ cap. XVIII. inquiebat: ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimi- „ lem tui. Et ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos „ om-

„ omnia, quæ præcepero illi. Qui autem verba ejus, quæ loque„ tur in nomine meo, audire noluerit: Ego ultor exiſtam „.

X X I I I.

23. In uberioris illius revelationis, quam vetus Moſaica Religio ſpondebat, adventu, deſinere, ac penitus aboleri debebat cultus ejus externus. In quo enim ille poſitus erat, niſi in Arca Domini, in Templo, in Sacrificiis, in Feſtis, & in Sacerdotio? Porro quem fugit futurum fuiſse tempus, quo hæc omnia erant abroganda? Sacri Vates ubique hæc vaticinantur. Sic de Arca, & Templo Hieremias cap. III. de Sacrificii, ac Sacerdotii ceſſatione Malachias cap. I. de Feſtis tandem Amos cap. V.

X X I V.

24. Uberior illa revelatio in Meſſiæ adventu tandem aliquando affulſit. Quid enim aliud illa promittebat, quam novum fœdus a Deo cum hominibus mediatore Meſſia ineundum, ex quo clarior, diſtinctior, ac copioſior ipſius cognitio emanare debuiſſet. „ Ecce „ dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Iſraël, & domui „ Juda fœdus novum non ſecundum pactum, quod pepigi cum „ Patribus eorum .... Et hoc erit pactum, quod feriam cum do„ mo Iſraël. Poſt dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam „ in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam, & ero eis „ in Deum, & ipſi erunt mihi in populum „. Hierem. cap. XXXI. Jam vero Religio, quæ a Chriſto Domino fuit inſtituta, novum illud continet pactum, clarioremque ipſius Dei exhibet cognitionem.

X X V.

25. Si itaque ſplendidior illa revelatio mortalibus per Chriſtum, quem verum Meſſiam agnoſcimus, ac totius medullis diligimus, facta eſt; jamdiu externum Moſaicæ Religionis cultum abolitum fuiſſe exiſtimandum eſt. Cujus quidem rei veritatem indubiam, certamque facit potiſſimum præſens vel ipſa Judœorum conditio. Ubi quæſo eis ſunt Arca, Templum, Sacerdotium, Sacrificium, & Feſta, quæ ſane omnia externi Moſaici cultus ſummam conſtituebant. Hiſce illi diu carent, & ubique terrarum diſperſi Deum nonniſi iratum, & ultorem ſentiunt, ac experiuntur. Quidquod impoſſibile quoque iis eſt, ut iterum in priſtinum ſplendorem, eximiamque formam præfatum cultum reſtituant? Ejuſmodi opus audacter aggreſſus eſt impiiſſimus Julianus Imperator, dum Hieroſolymitanum Templum inſtaurare omnibus, quod dicitur, unguiculis ſuſcepit, etſi irrito plane conatu: quoniam teſte vel ipſo Ethnico Ammiano Marcellino lib. XXI. cap. I. „ Metuendi globi flammarum prope fun„ damenta crebris aſſultibus erumpentes fecere locum, exuſtis ali-

Digitized by Google

„ quoties operantibus, inacceſſum ; hocque modo elemento deſtina-
„ tius repellente ceſſavit inceptum „.

De Religione Chriſtiana.

I.

26. HActenus de Revelatione, ac Religione Moſaica. Reliquum eſt, ut nunc ſermo inſtituatur de Revelatione, ac Religione Chriſtiana. Utramque intactam non relinquunt hujus ſæculi Pſeudo-philoſophi ; & quo magis pravis ſui animi propenſionibus, ac voluptatibus oppoſitam intelligunt, hoc majori ira, atque furore direptioni, ac incendio exhibetur. Hinc ut in Religionem noſtram populi odium concitent, & invidiam, impudentiſſime obmurmurant, obeſſe hominum, & Reipublicæ felicitati, aliaque id genus vitia eidem adſcribere illos haud pudet. Ne itaque muneri noſtro, quod eſt integram, & incolumem Revelationem, ac Religionem Chriſtianam ſervare, cuſtodire, ac tueri, deeſſe videamur principio contendimus, utramque in iis contineri libris, qui Novi Teſtamenti dicuntur.

II.

27. Ii Libri, qui undique chriſtianam revelationem, & Religionem ſpirant, authentici ſunt, ac revera eos habent Auctores, quorum veneranda Nomina in fronte gerunt. Increduli ad Evangelicæ hiſtoriæ veritatem e medio tollendam eos libros confictos eſſe debaccantur a primis Chriſtianis, ut inde Religioni Chriſtianæ maximam populorum fidem conciliarent. At ubi eſt ea honeſtatis ſpecies, quam ſe habere hi novi generis humani præceptores tantopere gloriantur ? Honeſtum ne hominem agerent, qui notiſſimis, ac per ſeptemdecim ſæcula in omnium manibus poſitis libris credendum eſſe negarent ; dum tamen proſelytis ſuis imperant, ut credant Epiſtolis Judaicis, Perſis, aliiſque id genus ſcriptiunculis ? Huc illud Juven.

Difficile eſt ſatyram non ſcribere ; nam quis iniquæ
Tam patiens urbis, tam ferreus, ut teneat ſe ?

III.

28. Iidem libri, ſive ſint Apoſtolorum fœtus, ſeu aliorum, æque antiqui ſunt, ac ipſi Apoſtoli, quibus tribuuntur. Nihil enim in iis deprehendi poteſt, quod ad Apoſtolicam ætatem mirifice non ſpectet. Judæos exhibent Romanis ſubditos, Hieroſolymam Romæ tri-

tributariam; varias item Principum, & Procuratorum ſucceſſiones, ac viciſſitudines iis ipſis temporibus maxime cohærentes. Quod vero rem omnem invicte conficit, eſt altum ſilentium, quod Auctores hiſtoriæ Evangelicæ obſervant, de Hieroſolymorum excidio, de Templi ſubverſione, & de Judaicæ Reipublicæ interitu. Quorum tamen omnium edita Oracula pronunciant. At quid hoc innuit, niſi Auctores illos re quidem vera ſcripſiſſe, antequam ea Oracula ſuum ſortirentur effectum?

I V.

29. Apoſtoli factorum, quæ narrant, teſtes oculati fuerunt, aut certe quidem iis ætate proximi. Chriſtus enim Petrum, Matthæum, Johannem, Jacobum, & Judam vitæ ſuæ comites, & teſtes ſelegerat: quæ igitur ab hiſce referuntur vel ſuiſmet oculis inſpexerunt, vel propriis auribus uſurparunt: hinc illud Johannis. ,, Quod audivimus, quod vidimus, quod manus noſtræ contrecta- ,, verunt de Verbo vitæ, hæc annuntiamus vobis ,,. Paulus vero, Lucas, & Marcus, quæ ſcriptis ſuis demandarunt, ab oculatis teſtibus acceperunt: unde factis illis coævi jure cenſendi ſunt.

V.

30. Quum Apoſtoli facta, quæ deſcribunt, & evulgant, vel oculis ſuis viderint, vel ab oculatis teſtibus hauſerint, neceſſario efficitur eos noluiſse decipere. Falſarios tamen, & mendaces illos traducunt Increduli; ſed prorſus inaniter. Quonam enim pacto fallendi conſilium poterant ii præ mente gerere, qui in ſuis enarrationibus de ſeipſis tam demiſſe ſentiunt, ſuoſque candide aperiunt animi defectus? Nonne tales ſunt Apoſtoli? Suam enim craſſam minime reticent ignorantiam, ſtupiditatem, præjudicia, ambitionem, contentiones, puſillanimitates, fugam tempore paſſionis, Magiſtri proditionem ab uno eorum factam, trinam Petri negationem, omnium trepidationem, tarditatem denique omnium ad credendum iis, quæ locutæ ſunt Scripturæ de Chriſti paſſione, & reſurrectione. Sunt ne hæc animi decipientis ſigna? Videant Adverſarii.

V I.

31. Apoſtoli non ſolum decipere noluerunt, verum etiamſi voluiſſent, minime potuerunt. Facta enim illa tum temporis, quo divulgabantur, publica erant, maximique momenti. At ſi ſuppoſita fuiſſent, ſummaque fraude conficta, valde eis pertimeſcendum erat, ne reclamarent & Judæi, & Gentiles. Intererat plane Judæorum omni terrarum orbi patefacere illius hiſtoriæ falſitatem, quæ eorum in Chriſtum, & Diſcipulos odium, & impietatem ex-

hibebat. Intererat idipſum Gentilium, qui Numinum ſuorum cultum ſuſdeque verti ſentiebant. Tantum vero abeſt, ut Judæi, & Gentiles Apoſtolos immanium mendaciorum conditores, ac patronos denunciarint, quin potius eorum narrationi tacito ſilentio ſe ſe ſubſcripſerint: alioquin eorum vigilantia maxime obſtare debuiſſet.

V I I.

32. Quoniam vero Apoſtoli noluerunt, atque nequiverunt mortales decipere, & in errores perducere, conſequens hinc eſt, ut ipſos vera enarraſſe confiteamur. Profecto quid aliud ſignificant candida illa ſuorum defectuum confeſſio, quæ undique in eorum ſcriptis affulget, ea ſtyli ſimplicitas, quam perpetuo ſervant, & tandem admirabilis illa animi conſtantia, qua apud tribunalia ſe ſe ſiſtunt uſque ad vitam ſanguine perfundendam, quam illorum factorum, quæ palam facere etiam contradicentibus poteſtatibus adnituntur, ſummam veracitatem? Qui quidem impoſtores agunt, hæc non præſtant, ſed quæ falſa hominibus inculcare pertentant; glorioſis ſermonibus, translationibus inverecundis, putides argutiolis exaggerant.

V I I I.

33. Hoc unum Libertini, quos ſatis ſuperque devictos exiſtimo, nobis poſſunt objicere, libros videlicet Novi Teſtamenti ita eſſe temporum diuturnitate deturpatos, ut penitus nunc primigenium amiſerint nitorem. Sed qua injuria hæc animi ſenſa proferant, nemo non videt. Quænam, quæſo, ſunt argumenta prætenſam ſacrorum librorum violationem oſtendentia? Quod certo ſcimus, eſt ejuſmodi facti impoſſibilitas. Quum enim Novum Teſtamentum liber fuerit, ad quem Catholici, & Hæretici tamquam ad Lydium, ut ajunt, lapidem ex æquo confugerint, ut ex eo quilibet pro dogmatibus propugnandis rationum momenta haurirent, hinc eſt, quod Catholici non potuiſſent in Sacros Codices temerarias manus injicere, quin oppido ab Hæreticis incuſarentur: Et viciſſim. Itaque Novi Teſtamenti integritas ſuis numeris abſoluta adhuc ita exiſtit, ut caligare, quemadmodum vetus fert parœmia, in ſole aliter ſentientes videantur.

I X.

34. Sed age libri Novi Teſtamenti a Deo originem trahunt ſuam, & ſunt inſtinctu, inſlatuque cæleſti conſcripti. Oculos, quæſo, cum ad Doctrinam convertamus, tum multo magis etiam ad Auctores. Si doctrinam ſpectemus, plane divinam, ac cæleſtem fateamur neceſſe eſt. Dogmata, & præcepta Moralia humanæ menti impervia prorſus ſunt, ac extra ejus aciem omnino poſita.

ſita. Si hæc omnia Sapientes, & Philoſophi fingere proprio marte non potuerunt, quanto magis Apoſtoli, idiotæ, & rudes? Si Auctores ſpectemus, eos inſpiratos divinitus fuiſſe liquido conſtabit. Indocti enim, ut jam dictum eſt, ac inſcii erant; adeoque prorſus impares ad Evangelicam Doctrinam ſibi comparandam.

X.

35. Ex librorum N. T. veracitate, atque divinitate ſua velut ſponte conſequitur veritas, ac divinitas Religionis Chriſtianæ. Hæc quidem non aliam doctrinam mortalibus proponit credendam, quam quæ iis in libris tradita eſt; non alia præcepta ſervanda exhibet, quam quæ ibidem expreſſa ſunt; nullum denique alium cultum præſcribit, quam qui iiſdem in litteris conſignatus eſt. Si igitur memorati libri, ut veriſſimum eſt, veraces ſunt, & ſolum Deum habent Auctorem, neceſſum quoque eſt, ut Religio, quæ in iis repoſita eſt, vera ſit, ac divina.

X I.

36. Sed hic non pigeat nonnullos genuinos characteres in medium adducere, qui divinam Chriſtianæ Religionis originem nobis aperiunt. Ac principio præfatæ Religionis divinitas mirifice elucet in moralibus præceptis, quæ ipſa conſtituit tum erga Deum, tum erga homines, tum denique erga noſmetipſos: Habita ratione Dei nobis eadem jubet eum ſolum ſuper omnia diligi, adorari; ad illum cunctas noſtras referri actiones, ejuſque gloriam noſtris utilitatibus præferri, & demum mortem ipſam potius oppetere, quam vel minimum violare hujus Supremi Legiſlatoris mandatum. Habita ratione cæterorum hominum memorata Religio nobis mandat, ut illos, ſicut noſmetipſos amemus; alteri, quod ſuum eſt reddamus; quod nobis actum nollemus, nulli faciamus; veniam inimicis demus; demum ut Cæſari, quod Cæſaris eſt, reddamus, ipſique propter Deum obtemperemus; adeo ut omnia noſtra perdere parati ſimus, potius quam in Cæſarem rebellari. Habito denique reſpectu ad noſmetipſos ſtatuit, ut ſobrii, temperantes ſimus, & caſti, omniumque eximiarum, atque præcellentium Virtutum exercitio dediti: imperat quoque ut caveamus nedum a committendis ſceleribus, verum etiam ab iis excogitandis. Item imperat, ut noſmetipſos abnegemus, inceſſanter contra animi commotiones luctemus, ſine ullo prorſus affectu hujus mundi bonis potiamur, ſemperque parati ad illa pro Chriſto relinquenda. Denique patientiam, & animi demiſſionem nobis inculcat veluti tutiſſima media, quibus veram, completamque felicitatem valeamus comparare. „ Beati, qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur „. Sed,

quæ-

Digitized by Google

quæſo, ejuſmodi præcepta cudi ne potuerunt ab aliqua mente humana quamquam ingenioſa, & ſagaci? Minime quidem. Reliquum ergo eſt, ut ſolius Dei opera ſe prodere fateamur.

X I I.

37. Alter character divinitatis Religionis Chriſtianæ ſunt Oracula, quæ Chriſtus Dominus edidit tum de Judæorum extinctione, tum de Gentium converſione ad fidem. Judaicæ Gentis everſio hæc tria complectebatur, excluſionem ſcilicet Judæorum a fide, ac a Regno Cælorum, & hanc Chriſtus prædixit Matt. cap. xxi., Urbis devaſtationem, de qua vaticinatus eſt ibidem cap. xxiii., & Lucæ cap. xix., & denique ſortem Judæorum, quam prænunciavit Lucæ eodem cap. Gentium vero converſio ſpectari poteſt tum in ſe, tum quoad modum. Primo ſenſu conſideratam prænunciavit Chriſtus Joh. cap. xxi. altero modo ſumptam Mat. cap. x. & Luc. cap. xxi. Ejuſmodi vero divinæ vaticinationes plene, perfecteque impletæ ſunt, ut nemo unus non videt. Judaica enim natio huc, atque illuc diſperſa eſt, Hieroſolyma ſolo æquata, & Evangelium per univerſum terrarum orbem prædicatum eſt, confluentibus ad Chriſtum innumeris populis. Itaque ea Religio, in cujus confirmationem ea vaticinia divinitus prolata ſunt, è manu Dei prodierit neceſſe eſt.

X I I I.

38. Sed ſilentio prætereundum non eſt celeberrimum vaticinium, quo a veteribus Hæbreorum Prophetis prædictum eſt, fore ut omnes gentes, omneſque nationes in Veri Dei agnitionem adſciſcerentur. Hoc quidem vaticinium, uſque dum Religio Chriſtiana in apertum proſeliret, eventu confirmatum profecto non eſt. Quem enim latet ante chriſtianam epocham omnes gentes præter exiguam Hebæorum familiam verum minime coluiſſe Deum? Quem fugit nullam gentem ſacrificia vero Deo exhibuiſſe? Quem præterit univerſos homines turpiſſimæ idololatriæ deditos fuiſse? Quin etiam

Scinditur incertum ſtudia in contraria vulgus.

Sed hactenus de his; ſequitur nunc, ut potiora videamus. Quis ignorat populos huc, atque illuc diſperſos proprium Veri Dei cultum non exhibere? Quem præterit nullam gentem, quamvis multitudine infinitam, immanitate barbaram illo lumine, quod de Sion, & de Hieruſalem exivit, illuſtratam curvam, & ſupplicem Filio Paſtoris Bethlehemitæ, & radici Jeſſe incenſum adorationis, puritatis, & innocentiæ non offerre? Neque id ſolum tum temporis factum eſt, verum etiam quotidie, ſeu potius in ſingulos dies expe-

Digitized by Google

experimur. Ecquid mirabilis hæc rerum converſio aliud indicat, niſi divinitatem Religionis Chriſtianæ?

XIV.

39. Incaſſum Libertini, ut invictiſſimi hujus argumenti vim eludant, ad Gentilium oracula nos provocant. Ut enim Vaticinia Chriſtianorum vera, & germana ſunt divinitatis opera, ſic Ethnicorum oracula fuerunt generatim meræ Sacerdotum impoſturæ, fraudes, & inventa. Id potiſſimum nobis ſuadent, tum ipſorum inter Gentiles ſapientium, & Doctorum judicium, quod de horum oraculorum falſitate ferebant; tum antra, & ſpeluncæ, in quibus illa reddebantur; tum demum ambiguitas reſponſorum, quæ ita composita erant, ut quid quid contigerit, prædictum videretur. Audiamus Romanum Oratorem in lib. II. de Divinat. præclare ad rem noſtram ita diſſerentem., „ Ego nec Martis vatibus, nec Apolli„ nis opertis credendum exiſtimo, quorum partim ficta aperte, par„ tim effutita temere, nunquam ne mediocri quidem cuipiam non „ modo prudenti probata ſunt „. Et Euſebium lib. IV. Præp. Evang. ſic loquentem. „ Multi vatum, atque Aruſpicum non ſolum pri„ ſcis, ſed etiam noſtris temporibus tormentis in judicio coacti „ univerſam rem ſuis inventionibus fieri ediderunt, a quibus mo„ dos quoque artificii exquiſitius patefactos non ignoramus, qui „ tamquam ſeductores, & malefici viri ultimo ſupplicio ſecun„ dum leges affecti ſunt „. Quæ res adeo clara eſt, ac perſpicua, ut neminem prorſus lateat. Non diffiteor tamen ob reverentiam Patribus debitam aliqua potuiſse a Dœmonibus edi oracula, quamquam, & numero perpauca, & ipſo Chriſti adventu deſita.

XV.

40. Inſignis etiam character divinitatis Religionis Chriſtianæ elucet in certis, conſpicuiſque prodigiis, quæ tum Chriſtus, tum Apoſtoli effecerunt in miſſionis confirmationem. Hæc quum è præpotentis Dei dextera prodierint, adeo efficacia fuerunt, ut mire Philoſophorum arrogantiam vicerint, ignorantiæ tenebras, quibus miſere genus humanum caligabat, feliciter diſpulerint, moreſque antea corruptos rite compoſuerint, ac reformarint. Et ſane hæc ipſa Demoſthene, ac Tullio facundiora cuilibet ita ratiocinandi vim præbebant. Natura impoſtoribus minime obtemperat; atqui naturam conſpeximus hiſce Concionatoribus ſine moleſtia, ſine labore obſequentem; ergo impoſtores hi non ſunt, ſed vere a Deo miſſi, ut nos de veritatibus certos redderent. „ Domine, ſi quod credi„ mus, ajebat Ricardus a S. Victore lib. II. de Trinit. cap. II. er„ ror

„ ror eſt, a te decepti ſumus; nam ea, quæ credimus, confir-
„ mata ſignis, & prodigiis fuere, quæ nonniſi per te facta ſunt „. At hæc procul a nobis blaſphemia, Deum videlicet nos poſse decipere. Deus enim eſt falli, & fallere neſcius: quare melius cum Regio vate dicamus: „ Teſtimonia tua credibilia facta ſunt ni-
„ mis „.

X V I.

41. Nonne miracula jactat etiam falſa, & ſuperſtitioſa religio, quam tamen nemo divinam audebit pronunciare? Nonne Antichriſtus plurima erit patraturus prodigia, ut ſi fieri poſſit, ipſos electos in errorem inducat? Non ergo exploratum eſſe videtur Miracula veritatis argumenta præſeferre. Quid tamen? Toto cælo aberrant Libertini, dum Miraculis noſtris gentilitatis, & Antichriſti prodigia objiciunt. Nos enim certas, ſtataſque habemus regulas, quarum ope falſa prodigia a veris diſcernuntur. Et re quidem vera objecta prodigia ad illorum canonum lancem ponderata penitus corruunt, ſuamque falſitatem quamfacillime in aperto ponunt. „ Nemo eſt ...... qui faciat virtutem in nomine
„ meo, & poſſit cito male loqui de me „. Ait Chriſtus Marci IX.
„ Quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Chriſti ad
„ Belial? II. ad Cor. VI. „

X V I I.

42. Ex Chriſti autem Miraculis illuſtrius, & nobilius eſt ipſinſmet Chriſti Reſurrectio. Hocne admittunt Increduli ut verum, ac reale? Non utique. Quo enim magis illud vident Religionis Chriſtianæ divinitatem patefacere, eo magis convellere ſtudent, fraudibus, artibuſque Apoſtolorum temere adſcribendo, quatenus hi clanculum Chriſti Corpus è ſepulchro furati ſint, dein in vulgus è mortuis redivivum falſo evulgarint. At dum hæc iniquitatis congerunt argumenta, in foveam, quam fecerunt, inſcite incidunt. Siquidem Mors Chriſti, & ejus reſurrectio duo ſunt facta ab iiſdem teſtibus aſſerta, & annunciata, qui poſt mortem Chriſtum vivum vidiſse teſtantur, cum eoque ſocietatem iniviſſe: quin etiam ſuum teſtimonium verum, & ratum propugnant ad ſanguinis uſque effuſionem. Primum factum Adverſarii ultro liberterque admittunt; alterum vero pertinaciter rejiciunt. Cur autem diſpar judicium, ubi par probatio exiſtit? Dicam: Mors Chriſti eorum favet ſyſtemati; ejus vero reſurrectio illud penitus evertit. „ Quo-
„ modo reſurgunt mortui? ..... Inſipiens tu, quod ſeminas non
„ vivificatur, niſi prius moriatur. I. ad Cor. XV. „

43. Sed

Google

XVIII.

43. Sed ut cum Incredulis plus æquo liberaliores ſimus, ad momentum dabimus, Chriſtum vera non effeciſſe Miracula, Apoſtolos ſimiliter. Mundus ergo ſine prodigiis credidit Evangelio. At quis cordatus non intelligit, ejuſmodi factum ſemel verum rationem habere maximi miraculi? Non enim naturæ, moribuſque conſentaneum eſt, eam Religionem, quæ Moralis ſuæ ſeveritate voluntatem mortificat, quæque aliunde adverſaria experitur omnia nationum præjudicia, quæque tandem non modo ab hominibus tenuis, ſed plane nullius fortunæ annunciabatur, tanta facilitate ſuſcipi potuiſse, quin Deus aliquid admirabilis geſſerit ſuper mortalium ſpiritus, & hominum voluntates. Quis igitur non animadvertit Incredulos, dum conſpicua Miracula declinant, majus contra proprium inſtitutum fateri prodigium Chriſtianæ Religionis divinitatem invicte confirmans? ,, Et qui miracula facta eſſe non credunt, no-
,, bis hoc unum grande Miraculum ſufficit, quod terrarum orbis
,, ſine ullis miraculis credidit ,,. S. Auguſtinus lib. XXII. de Civit. Dei cap. VIII.

XIX.

44. Religio Chriſtiana, quam tot, tantiſque divinitatis ſignis obfirmatam vidimus, humano generi non utilis modo eſt, verum etiam adeo neceſſaria, ut nullus, qui eam plene, perfecteque non profiteatur, æternam poſſit aſſequi beatitatem. Quocirca enormiter errant quotquot arbitrantur, dari Religionem minus perfectam univerſis gentibus communem, quæ etſi minime a revelatione, Chriſtique meritis dependeat, ſatis tamen ſit Dei filios efficere in iis maxime regionibus, ubi nondum Evangelium auditum eſt. Hæc enim doctrina primis illis, quas velut per manus ab Apoſtolis Patres noſtri acceperunt, inſtitutionibus aperte adverſatur: Et merito; nam non eſt in alio aliquo ſalus, quam in Jeſu Chriſto, nec aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri. Ipſe Chriſtus Salvator eſt Sanctorum univerſorum temporum; eſt unus mediator Dei, & hominum, via, veritas, & vita; & nemo ad Patrem pergit, niſi per ipſum. Hæc ſunt, quæ Patres noſtri ab ipſis Chriſtianæ Religionis Magiſtris didicerunt; & hæc ſunt, quæ nos majorum noſtrorum exemplis inſiſtentes toto corde, & animo credimus, ac confitemur. Utinam hæc quoque ſaperent, & intelligerent hujus ætatis libertini! Dubio procul a conviciis ceſſarent, & calumniis, quibus Chriſtianam Religionem hucuſque affecerunt, eamque, cujus lac ab infantia ſugerunt, iterum amplecterentur. Victi modo ſunt; tunc victores cenſerentur

juxta illud Hieronymi in Dial. adv. Lucif. „ Non ſolum te viciſſe „ exiſtimes: Vicimus utrique: uterque noſtrum palmam refert, „ tu mei, & ego erroris „.

De vera Chriſti Eccleſia.

I.

45. Viſibilis ſocietas, penes quam eſt depoſitum revelationis, ac fidei, alia eſſe nequit, quam Eccleſia Chriſtiana. Hæc enim unice profitetur Religionem a Chriſto inſtitutam, & ab Apoſtolis promulgatam, atque longe lateque diffuſam, quæ ſola, ut ſupra oſtenſum eſt, vera eſt, & a Deo ſui ortus primordia accepit. Plures ſane eſſe ſocietates inter ſe diſſitas, mutuoque ſe ſe percutientes anathemate, quæ glorioſum nomen veræ Chriſti Eccleſiæ ſibi adſciſcunt, nemo eſt, qui ignorat. At quanam ratione ea ſocietas, cui *titulus* ille ex æquo reſpondet, ab aliis, quæ eumdem ſibi adjudicant, diſcernenda erit? Quatuor notæ, quas Symbolum Conſtantinopolitanum exhibet, *Unitas* ſcilicet, *Sanctitas*, *Apoſtolicitas*, & *Catholicitas* veram Chriſti Eccleſiam ſecernunt ab aliis ſocietatibus hocce nomen ſibi falſo uſurpantibus.

I I.

46. Ac principio veram Chriſti Eccleſiam unam eſse profitemur. Primo enim omnes fideles, ex quibus ea coaleſcit, unum corpus conſtituere debent ſub uno viſibili capite, quod eſt Summus Pontifex in hoc terrarum orbe Chriſti Vicarius, & Divi Petri Succeſsor. Secundo iiſdem Fidelibus unum corpus ſic componentibus una debet eſse, eademque fidei profeſſio, una, eademque Sacramentorum participatio; tandem una, eademque ſalutis ſpes affulgere. Hanc vero notam Chriſtus ipſe deſignare voluit, dum Joh. x. inquit „ Et alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili, & illas „ oportet me adducère, & vocem meam audient, & fiet unum „ ovile, & unus Paſtor „.

I I I.

47. Vera Chriſti Eccleſia Sancta quoque eſt. Primo quia Chriſtus ejus parens, & conditor non ſanctus modo eſt, ſed plane ipſius ſanctitatis origo. Secundo quia in ejus ſinu homines Sanctos complectitur, & complectetur ſemper præ aliis ſocietatibus, quibus nulli ſunt Sancti, nec eſſe poſſunt. Tertio demum quia doctrina,

Digitized by Google

ctrina, quam profitetur, ſancta eſt, ſanctaque erit etiam in ævum.

I V.

48. Eadem vera Chriſti Eccleſia eſt Catholica. Primo quia quælibet ſpectat tempora; debet enim eſſe viſibilis fidelium cœtus ſub uno, eodemque capite in eadem fide coadunatus. Secundo quia omnia etiam complectitur loca; nam ejus doctrina ubique terrarum jam annunciata fuit, annunciatur adhuc, & ſemper annunciabitur: proindeque in qualibet Mundi plaga fideles Catholici fuerunt, ſunt, & erunt. De hac Eccleſiæ nota eleganter locutus eſt regius Pſaltes, dum Pſal. II. æternum Patrem ſic dicentem inducit. „ Filius meus es tu: ego hodie genui te ..... Et dabo tibi gentes „ hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ „.

V.

49. Demum vera Chriſti Eccleſia Apoſtolica eſt. Primo enim illa omnia credit, & docet, quæ Apoſtoli crediderunt, & docuerunt. Secundo ab Apoſtolis fundata fuit, & nunc ab eorumdem ſucceſſoribus regitur, ac gubernatur. Tertio denique a Chriſto per Apoſtolos auctoritatem, & miſſionem accepit. „ Tenet me, inquiebat Auguſtinus cont. Epiſt. Fundam. cap. IV. in Eccleſia Catholica „ ab ipſa Sede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas Dominus „ commendavit, uſque ad præſentem Epiſcopum ſucceſſio Sacerdotum „.

V I.

50. Recenſitæ notæ, quæ veram Chriſti Eccleſiam certo deſignant, ac ſtatuunt, vere, & propriæ Eccleſiæ Romanæ conveniunt; nullo plane modo hæreticorum ſectis. Et ſane Unitas ita Eccleſiæ Romanæ propria eſt, ut nequeat cæteris ſocietatibus aptari. Siquidem hæc in eo poſita eſt, ut unum Corpus ſubmittat uni Capiti viſibili Romano Pontifici: hinc Cyprianus Ep. LXIX. ad Florentium Pupian. inquit „ Eccleſia plebs Sacerdoti adunata, & Paſtori ſuo „ grex adhærens „. At in ſola Catholicorum ſocietate, hoc eſt in ſola Eccleſia Romana unum Corpus ſubeſt uni Capiti viſibili Romano Pontifici: Unde præclare Hieronymus ad Damaſum Papam ſcribit. „ Hic in tres partes ſciſſa Eccleſia me ad ſe rapere „ feſtinat: Ego autem clamito: Si quis Cathedræ Petri jungitur, „ meus eſt „: Eccleſia ergo Romana una eſt; ac proinde eſt vera Chriſti Eccleſia.

V I I.

51. Sola ac vera Chriſti Eccleſia adeo una eſt, ut e ſuo ſinu quaslibet ſectas cum hæreticorum ſive errantium in quibuſvis fidei

dei articulis, tum Schiſmaticorum, prorſus ejiciat. Subjectoſne hujus generis homines uni Capiti Eccleſiæ viſibili Romano Pontifici, qui habetur tamquam Unitatis centrum, & fundamentum, ſe agnoſcunt? Non certe. Hanc enim ſubjectionem negligunt, & execrantur, atque contra ſingularem Cathedram alteram collocare temere, ſuperbeque audent. Phaleratis quidem verbis pacis, & Unitatis amorem affectant. „ Specioſum utique eſt nomen pacis, & „ pulchra eſt opinio Unitatis. Sed quis ambigat eam ſolam Eccle- „ ſiæ, atque Evangeliorum Unitatem pacem eſse, quæ Chriſti eſt? „ S. Hilarius lib. con. Auxentium. Itaque cum Romana Eccleſia hac Unitate polleat, nulla ei poteſt eſse communio cum aliis cœtibus, qui ex ſocietate Catholicorum prodierunt.

VIII.

52. Rurſus Unitas ſocietatis Catholicorum ejus naturæ, ac indolis eſt, ut aliarum Religionum nequeat conſociationem tolerare. Quælibet enim Religio, quæ Catholica non ſit, alium habet auctorem, alia dogmata, & aliud caput, ut cuilibet attendenti perſpicue patet. Jam vero Unitas veræ Chriſti Eccleſiæ unam doctrinam exigit, & unum conſtituit Corpus ſub uno viſibili Capite, quod eſt Romanus Pontifex: Nequit ergo illa alias, atque alias ſocias habere Religiones: hinc appoſite ſcribit Cyprianus Epiſt. XLIII. olim XL. „ Deus unus eſt, & Chriſtus unus, & una Eccleſia, & „ Cathedra una ſuper Petrum Domini voce fundata; aliud Altare „ conſtitui, aut Sacerdotium novum fieri præter unum Altare, & „ unum Sacerdotium non poteſt „.

IX.

53. Denique Unitas Eccleſiæ Catholicæ non ſinit quoque, ut quis extra ejus ſepta poſitus æternam adipiſci queat ſalutem. „ Domus „ enim Dei una eſt: Nemini ſalus, niſi in Eccleſia eſse poteſt „. S. Cypr. Ep. LXI. „ Qui Eccleſiam non habet matrem, habere jam „ non poteſt Deum patrem. „ Idem lib. de Unit. Eccl. „ Et qui- „ cumque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt „ S. Hieronym. in Ep. ad Damaſ. XIV.

X.

54. Altera veræ Eccleſiæ Chriſti nota, quæ eſt Sanctitas, uni etiam convenit Eccleſiæ Romanæ; minime vero hæreticorum ſectis. Et quidem in quo poſita eſt ſanctitas, quam inter veræ Chriſti Eccleſiæ notas conſtituimus, niſi in ſanctitate Inſtitutorum, in ſanctitate doctrinæ, & profeſſionis, & in ſanctitate miraculorum gloria confirmata? Jam vero Eccleſia tantum Romana triplex hocce ſanctitatis genus habet; ſiquidem illa ſola habet Inſtitutores ſanctos,

ctos, Chriſtum ſcilicet, & Apoſtolos; doctrinam ſanctam; utpote quæ nil docet, quod ſanctum non ſit, nil credendum proponit, quod in Sacris Scripturis, vel in Traditione, vel in Conciliorum definitionibus non contineatur: pollet denique ſanctitate miraculorum gloria confirmata; quoniam nullum poſt ipſius inſtitutionem adeſt ſæculum, in quo innumera non ſint effecta prodigia, ut cuilibet, qui in Eccleſiaſtica hiſtoria non eſt peregrinus, & hoſpes, liquido conſtat: Quocirca Eccleſia Romana Sancta eſt; atque adeo vera Chriſti Eccleſia.

X I.

55. Eidem Eccleſiæ Romanæ, & quidem ſoli competit quoque Catholicitas. Illa enim omnia tempora complectitur; ſiquidem ſucceſſione minime interrupta ab ipſo Divo Petro, qui illius viſibile Caput fuerat a Chriſto Domino conſtitutus, derivat, & eſt perduratura ad ſæculorum finem uſque ſecundum hanc ipſius Chriſti promiſſionem. „ Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi „. Item complectitur etiam omnia loca; quoniam nulla eſt ſub cælo regio, in qua non emineat, pluresque non habeat filios, ut cuilibet attendenti liquido conſtat; „ Eccleſia enim Catholica, inquit Auguſtinus Ep. CVII. eſt, quod per totum terrarum orbem diffundatur „. At tales ne ſunt Hæreticorum ſectæ? Haudquaquam: Non enim fuerunt ſemper, nec ſunt ubique. Compertum ergo eſt, exploratumque ſolam Romanam Eccleſiam Catholicam eſse; proindeque veram Chriſti Eccleſiam.

X I I.

56. Denique Eccleſia Romana eſt Apoſtolica, & quidem ſola. Quem fugit illam ab Apoſtolis ſuam ſumere originem? Eadem enim eſt cum Eccleſia quinque priorum ſæculorum, quam Novatores Apoſtolicam agnoſcunt & confitentur tum habita ratione conjunctionis cum Summo Pontifice, tum habito reſpectu ad auctoritatem. Quem præterit Apoſtolicam ſervare, ac profiteri doctrinam? Siquidem Eccleſia noſtra eamdem habet, profiteturque doctrinam, quam habuit, & profeſſa fuit quinque priorum ſæculorum Eccleſia, ut cuilibet utriuſque Eccleſiæ doctrinam conferenti manifeſto adparebit. Quis demum ignorat eamdem legitima Paſtorum ſuorum frui miſſione? Quos enim habet, Paſtores ab Apoſtolis propagati ſunt. Ecquis ergo non intelligit Romanam Eccleſiam ſolam vere Apoſtolicam eſse adeo, ut jure poſſit Proteſtantium ſectas ſic vellicare? „ Qui eſtis? Quando, & unde veniſtis? „ Quid in meo agitis non mei? Quo denique (Luthere) jure ſilvam meam cædis? Qua licentia (Calvine) fontes meos tranſ-

„ ver-

„ vertis ? Qua poteſtate (Socine) limites meos commoves ? Mea
„ eſt poſſeſſio . . . . . Quid hic cæteri ad voluntatem veſtram ſeminatis, & paſcitis ? Mea eſt poſſeſſio , olim poſſideo , habeo origines firmas ab iis auctoribus , quorum fuit res : Ego ſum hæres Apoſtolorum „ . Tertull. de Præſcript.

X I I I.

57. In Eccleſia ſola Romana illæ emicant proprietates , quibus vera Chriſti Eccleſia fulciri debet , *viſibilitas* videlicet , *indefectibilitas* , *& infallibilitas* . Certe ſola Eccleſia Romana ſua natura viſibilis eſt ſocietas . Viſibilis eſt in ſuis Paſtoribus , & præſertim in Summo Romano Pontifice , qui non interrupto ordine Divo Petro ſuccedit . Viſibilis etiam eſt in ſuis membris , quæ in eadem fide , eademque Sacramentorum communione uni , eidemque Capiti ſubſunt , & obtemperant . Itaque Eccleſia Romana illa eſt , de qua olim Iſaias cap. II. hæc protulit celeberrima verba : „ Et erit in „ noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium , & elevabitur ſuper colles , & fluent ad eam omnes gentes „ . Et de qua Magnus Auguſtinus Donatiſtas urgens ait : „ „ Nota eſt ergo (Eccleſia) omnibus gentibus ; pars autem Donati „ ignota eſt pluribus gentibus : non eſt ergo ipſa „ .

X I V.

58. Eccleſia Romana cum natura ſua conſpicua ſit , ac viſibilis ; proindeque ſit ſola vera Chriſti Eccleſia , non modo in ſuo ſinu juſtos , & prædeſtinatos complectitur , fovet , ac nutrit ; verum etiam continet peccatores , occultos Hæreticos , Schiſmaticos , & Infideles , dummodo baptiſmo abluti fuerint , externamque Fidei profeſſionem , Sacramentorum participationem , atque legitimis Paſtoribus obedientiam retineant . Inter vero iſthæc membrorum genera id intercedit diſcriminis , ut ſcilicet juſti , & prædeſtinati ad Eccleſiam perfectiſſime ſpectent ; cæteri vero imperfecte . Et ſane Chriſti Eccleſiæ typus fuit Arca Noë , quæ univerſas animantium ſpecies ab aquis diluvii ſalvandas in ſuo ſinu receperat . Recte ergo ſcripſit Auguſtinus Tract. XLV. in Joh. „ Secundum præ- „ ſcientiam Dei , & prædeſtinationem , quam multæ oves foris , „ quam multi lupi intus , & quam multæ oves intus , quam multi „ lupi foris ? „

X V.

59. Quinimmo de anima Eccleſiæ dicendi ſunt Cathecumeni , & injuſte excommunicati , ſi caritatem habeant ; fideles juſti , qui longe a reliquorum communione detinentur ; pueri Hæreticorum , & Schiſmaticorum baptizati ; & demum , qui hæreſi , vel Schiſmati adhuc

adhuc non conſenſerunt. Et quidem quid aliud opus eſt, ut quis ad animam Eccleſiæ attineat, niſi fides, & caritas? At certe fide, & caritate deſtituti non ſunt illi, de quibus ſupra. Unde ſcite de Cathecumenis inquit Auguſtinus Tract. IV. in Joh. „ Intendat ca- „ ritas veſtra: Futuri aliqui erunt in Eccleſia excelſioris gratiæ „ Cathecumeni „.

XVI.

60. Viſibilitas Eccleſiæ viſibile expoſcit caput, quod ſit ceu Unitatis Centrum, & in quo omnia colligantur membra: „ Unus „ eligitur, ait Hieronymus, ut capite conſtituto Schiſmatis tolla- „ tur occaſio „. Hoc vero caput aliud eſſe nequit, quam Romanus Pontifex, & nunc temporis PIUS VI. (quem Deus ſummæ Reipublicæ utilitate diu ſoſpitem conſervet, ac tueatur). Is certe Divo Petro, cui a Chriſto dictum eſt: „ Tu es Petrus, & ſuper „ hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam „; non interrupta ſerie ſuffectus jure divino pollet primatu honoris non ſolum, verum etiam juriſdictionis tam ſuper agnos, quam ſuper oves: Hinc S.Leo Magnus Serm. de ſua ad Pontificatum aſſumptione ſic loquitur: „ „ De toto mundo unus eligitur Petrus, qui & univerſarum gen- „ tium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctiſque Eccleſiæ Pa- „ tribus præponatur; ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes „ ſint, multique Paſtores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos „ principaliter regit & Chriſtus „.

XVII.

61. Catholicorum ſocietas, quæ omnibus viſibilis eſt, & conſpicua, nunquam defecit, nec deficere poteſt. Nonne enim illi perpetuam pollicitus eſt Chriſtus durationem? Dubio procul: „ Ec- „ ce ego, inquit ille Apoſtolis ſuis Matth. XXVIII. vobiſcum ſum „ uſque ad conſummationem ſæculi „. Et re ſane vera quanam ratione ea poteſt deficere, atque decidere ſocietas, quæ tot ante ſæcula fuit a Prophetis annunciata, grandi, & magnifico apparatu diſpoſita, atque ordinata, & demum tot, tantiſque ſignis, atque prodigiis ubique terrarum conſtituta? Quæ profecto ſocietas hiſce inſignitur eximiis, mirabilibuſque prærogativis, tamdiu durare debet, quamdiu ipſe ſtabit mundus.

XVIII.

62. Eccleſia noſtra in iis, quæ ad fidem pertinent, & ad mores, definiendis, ſanciendiſque errare minime poteſt: hincque ejus auctoritas infallibilis dicenda eſt. Nonne Chriſtus Eccleſiæ Auctor, & Inſtitutor inerrantiam ipſi ſpopondit? Quid deſignant hæc Chriſti verba ad Divum Petrum directa: „ Tu es Petrus, & ſuper hanc „ Pe-

Digitized by Google

„ Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præva-
„ lebunt adverſus eam „: niſi Eccleſiæ infallibilitatem? Quid hæc alia Doctoris gentium. „ Eccleſia Dei vivi (eſt) columna, „ & firmamentum veritatis „, niſi inerrantiæ donum, quo Chriſtus Eccleſiam ſuam ornavit? Qui ejuſmodi privilegio illam expoliare temere auſit, cenſeret profecto ex Apoſtolica minime deſcendere Eccleſia, quæ dicere ſolebat: „ Viſum eſt Spiritui Sancto, & „ nobis „. Act. cap. v.

X I X.

63. Ex quo autem aliqua doctrina, vel aliqua morum praxis in Eccleſia communis ſit haud inferre fas eſt, eam doctrinam, vel praxim ab Eccleſia unanimiter adprobari. Nonne enim prædictum fuit tám a Chriſto, quam ab Apoſtolis fore ut in Eccleſia perverſæ circumferrentur doctrinæ? „ Videte, ait Chriſtus Matt. xxiv. „ ne quis vos ſeducat. Multi enim venient in nomine meo dicen- „ tes: Ego ſum Chriſtus, & multos ſeducent „. Venient, inquit „ B. Petrus Ep. ii. cap. iii. in noviſſimis diebus in deceptione il- „ luſores juxta proprias concupiſcentias ambulantes „. Nonne etiam in Eccleſia communis eſt praxis male vivendi? „ Quia, in- „ quit Chriſtus Matt. vii., lata porta, & ſpatioſa via eſt, que du- „ cit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam „. Et Auguſtinus in Pſal. xciii. ait „ Quæris cum aliquo bono vivere, „ & vix invenis, multi mali te circumdant, quia pauca grana, „ multa palea „. At quis adfirmare audebit Eccleſiam, quæ eſt *ſine ruga*, *& ſine macula* conſentire vel in perverſam doctrinam, vel in pravam vivendi praxim, quamquam utraque aliquando videatur eſse in eadem communis.

X X.

64. Ad Eccleſiam judicare ſpectat quænam ſcriptura ſit divinitus inſpirata, & quænam non. Ecquis id ignorat? Teſtes hujus rei ſunt Apoſtolorum Acta; exorta enim Antiochiæ celebri controverſia, an Paulli, & Barnabæ doctrina de Legalium ceſſatione eſset divinitus inſpirata, ad eam dirimendam fideles Antiocheni recurſum ad Eccleſiam, ad Apoſtolos, & ad Presbyteros in Jeruſalem habuerunt, a quibus hoc latum fuit decretum. „ Viſum eſt Spiritui „ Sancto, & nobis „. Teſtes ſunt Sancti Patres, qui ut adverſus ſuorum temporum hæreticos ſcripturarum integritatem oſienderent, illos ad Eccleſiarum Apoſtolicarum conſulto provocabant auctoritatem. „ Ita Tertullianus loquitur de Præſcript. cap. xix. Si Do- „ minus Jeſus Chriſtus Apoſtolos miſit ad prædicandum, alios non „ eſse recipiendos prædicatores, quam quos Chriſtus inſtituit....
„ Quid

Digitized by Google

,, Quid autem prædicaverint, ideſt quid illis Chriſtus revelaverit, ,, & ſic præſcribam, non aliter probari debere, niſi per eaſdem Ec- ,, cleſias, quas ipſi Apoſtoli condiderunt ,, . Sed in hoc . . . . .

Et ſapit, & mecum facit, & Jove judicat æquo.

Auguſtinus, dum lib. con. Ep. Fundam. inquit ,, Ego vero Evan- ,, gelio non crederem, niſi Catholicæ Eccleſiæ commoveret aucto- ,, ritas ,, .

XXI.

65. Hinc neceſſario conficitur, judicium de ſcripturarum inſpi- ratione repetendum minime eſse ab ipſa ſcriptura. Qua enim ra- tione revincere eum poterimus, qui nonnullos libros apocryphos, ut librum Paſtoris, Barnabæ Epiſtolam, divinitus inſpiratos contende- ret, ſi nullibi in univerſa Scriptura illorum librorum mentio ha- betur? Quomodo libri illius, qui eſt poſtremo ſcriptus, divinam poterimus dignoſcere inſpirationem, ſi deeſt liber, qui de ea fi- dem faciat? Quo pacto redargui a nobis poterit, qui in quæſtionem univerſam divinam utriuſque Teſtamenti Scripturam vocaret? ,, Si ,, de toto, egregie ait Auguſtinus lib. 11 con. Fauſtum cap. 11. au- ,, dies contradicentem, & clamantem: falſus eſt: Quid ages, quo ,, te convertes? Quam libri a te prolati originem, quam vetuſta- ,, tem, quam ſeriem ſucceſſionis teſtem citabis? Nam ſi hoc face- ,, re conaberis, & nihil valebis; & vides in hac re, quid Eccleſiæ ,, Catholicæ valeat auctoritas, quæ ab ipſis fundatiſſimis Sedibus ,, Apoſtolorum uſque ad hodiernum diem ſuccedentium ſibi Epi- ,, ſcoporum ſerie, & populorum conſenſione firmatur? ,, Quid pulchrius, quid clarius, ut intelligamus Scripturam per ſe idoneam non eſse ad judicandum de librorum inſpiratione?

XXII.

66. Sed multo minus privatus cujuslibet fidelis Spiritus judex erit idoneus de Scripturarum inſpiratione. Quot enim, ſi cuilibet liceret de Scripturis judicium ferre, non conſequerentur abſurda? Tunc certe unicuique fas eſſet jactare ſe Dei Spiritum habere, ac proinde declarare quem magis libet librum Canonicum. Quo uti- que ſenſu ajebat Tertullianus lib. de Præſcript. ,, Idem licuit Va ,, lentinianis, quod Valentino; idem Marcionitis, quod Marcioni ,, de arbitrio ſuo fidem innovare ,, . Item evenire facile poſſet, ut in Canonicorum cenſum inferatur, vel ab eo expungatur liber, quem ſacrum, vel non ſacrum eſſe Dæmon ipſe ſuggeſſerit, qui quandoque ſeipſum in Angelum lucis transformat. Abjiciamus er- go Spiritum hunc privatum, confiteamurque, Eccleſiam ſolam eſſe judicem idoneum ad diſcernendum inter Scripturam divinam, & non divinam.

Digitized by Google

De Sanctiſſimæ Trinitatis Myſterio.

I.

67. INter Myſteria, quæ Chriſtiana Revelatio nobis patefacit, proponitque credenda, & quæ vera Chriſti Eccleſia tenet, ac profitetur, auguſtius, & venerabilius eſt dubio procul illud Sanctiſſimæ Trinitatis. Hocce Myſterium in eo poſitum eſt: „ Ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in Unitate veneremur: neque confundentes perſonas, neque ſubſtantiam ſeparantes „. (Sunt verba Symboli Athanaſio tributi). Quis crederet? Quo magis altiſſimum, & ineffabile ejuſmodi Myſterium ab omnibus recipi deberet, impenſius coli, ac venerari, eo magis ab omni hoſtium genere ſpernitur, irridetur, atque oppugnatur. Sunt quidem Judæi, qui clara, & diſtincta Trinitatis revelatione orbati, eam confiteri pertinaciter detrectant. Sunt aliqui hæretici, qui Eccleſiæ Magiſterio obtemperare contumaciter nolentes unam, vel alteram divinarum perſonarum impie inficiantur. Sunt demum Libertini, qui totius revelationis contemptores Trinitatem ſuperbe irrident. Nos, quibus in animo eſt, Sanctam Trinitatem contra memoratos hoſtes, & contra eorum improbos conatus tueri, ac vindicare, ad memoriam revocantes, quod olim ſapienter ſcripſit Hilarius lib. VIII. Trinit. „ Hoc Eccleſia intelligit; hoc Sinagoga „ non credit; hoc Philoſophia non ſapit „ principio ſtatuimus, Trinitatis Myſterium, revelatione ſecluſa, ſolo naturalis rationis ductu, cognoſci non poſſe, & oſtendi. „ Conſidera, quod vocaris fidelis, „ non rationalis „. S. Auguſt.

II.

68. Sed idne conſequitur, quod tantopere exaggerant Increduli, Trinitatis ſcilicet abjectio? Minime gentium. Quem enim fugit, naturalem rationem, quæ finita eſt, ac brevis, infinitum non poſſe emetiri, noſque nullos de iis omnibus inſtituere, quæ Deum, ejuſque naturam ſpectant? Hinc illud Prudentii con. Symm. lib. II.

Nam cum divinis agimus de rebus, & illum,
Qui vel principio caret, vel fine carebit .....
Conjectare animo contendimus, exigua eſt vis
Humani ingenii, tantoque anguſta labori.

Qua

Qua ergo fronte Libertini Trinitatis Myſterium contemnunt, & abjiciunt, quod humanum captum excedat, quum propemodum abſurda vel ipſi rationi contraria, ut materiam cogitantem, mundum æternum, vel fortuito athomorum concurſu productum, non eos pudeat admittere? Nimis clarum eſt, nimiſque perſpicuum rejicere illos Religionis noſtræ Sacra Myſteria, non quidem ullo veritatis ſenſu, & amore, ſed tantum eo partium ſtudio, quo ſe abreptos ſentiunt.

. . . . *aliudque cupido,*
Mens aliud ſuadet.

Ovid. Metam. lib. vii.

III.

69. Jam verum eſt, naturalem rationem, quæ revelationis face ſit orbata, per ſe Trinitatis Myſterium attingere non poſſe, nullus ut omnino ex philoſophis gentilibus deprehendatur, qui hujus Arcani cognitionem nudo, ſimplicique naturali lumine ſit adeptus. Qui hac in re a nobis diffident, in Platonis ſcriptis Trinitatis doctrinam expreſſam intuentur. Sed oh homines ipſius Platonis diſcipulis feliciores, qui dum Præceptoris doctrinam explicare volunt, dire inter ſe ſcinduntur, atque in varias abeunt, incertaſque opiniones! Verum ut penitius Platonica placita introſpiciamus, edocuit ne Plato Deum unum in natura, & trinum in perſonis; quemadmodum fert dogma Catholicum? Tres quidem divinas perſonas tradidit ille, quarum prima ſit Pater omnium rerum parens; altera mens, ſeu verbum omnium artifex; tertia mundi anima. Hiſce vero tribus perſonis naturas tribuit diverſas: hinc Angelicus Doctor lib. iv. cont. Gent. cap. vi. illum philoſophum tres agnoviſſe Deos ſummum unum, reliquos inferiores arbitratur. „ Erubeſcant igitur (Gentiles) ſcite ait Chryſoſtomus inſanam deridens Platonis ſapientiam, „ ſecedant, & abſcondantur de philoſophis „ ſuis, de ſua ſapientia omni ſtultitia miſeriore.

IV.

70. Quod Myſterium ſolius naturalis rationis lumine occultum eſt, atque abſconditum, ex Dei revelatione manifeſtum ſit, ac notum. Numquid in Vet. T. Libris innumera non occurrunt teſtimonia, ex quibus quamquam obſcure Sanctiſſimæ Trinitatis exiſtentia adſtruitur? Certe tot ibi reperiuntur, quot ſatis ſunt, ut Judæorum valeamus retundere perfidiam. Quid, quæſo, portendit vox *Elohim* pluralis terminationis in v. 1. cap. 1. Geneſ. cum verbo ſingulari *creavit* contra Hebraicam ſyntaxim conjuncta*, quam divinæ naturæ Unitatem, & pluralitatem perſonarum? Quid in-

 nuunt

Digitized by Google

nuunt hæc præ cæteris verba v. xxvi. ejuſdem cap. „ Faciamus ho-
„ minem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram „ quam pluralitatem divinarum perſonarum? „ Cum dicitur, faciamus, inquit „ Theod. quæſt. xix. in Geneſ., expreſſit numerum perſonarum, „ cum dixit, ad imaginem, eamdem eſſe naturam oſtendit „. Quærenti vero, cur Deus clare, & diſtincte reſerare Judæis hocce Myſterium noluerit, continuo reponimus; tum quia illis ad idololatriam proclivibus occaſio quælibet plures ſibi confingendi Deos adimebatur; tum etiam quia pedetentim, & quaſi per incrementa ad altiſſimarum rerum cognitionem erant perducendi.

V.

71. In Novo autem Teſtamento tot, ac tam clara, tamque perſpicua loca nobis ſeſe offerunt, ut mirari prorſus debeamus, cur deprehendantur, qui velut in meridiana luce cæcutientes de divinarum perſonarum numero prave ſentiunt. Ecquid Trinitatis Myſterium expreſſe, diſtincteque deſignatum non eſt in hiſtoria baptiſmatis in Jordane a Chriſto ſuſcepti, quam Matthæus cap. III. deſcribit? „ In hac enim tres numerantur Perſonæ, quarum prima eſt Patris de cælo dicentis: „ Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui „ altera Filii; qui baptizatur; „ hic eſt Filius meus „, tertia Spiritus Sancti, qui in Columbæ ſpecie ſe prodit „ Vidit Spiritum Dei deſcendentem, & venientem ſuper ſe „. Nonne idipſum aperte etiam evincitur ex formula baptiſmi a Chriſto inſtituti, quæ hoc in præcepto continetur: „ Euntes docete om-
„ nes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus
„ Sancti „? In hiſce quippe tres divinæ perſonæ exprimuntur, quibus unica ineſt Natura.

VI.

72. Sed pulchrius, & elegantius teſtimonium, quod rem totam invicte conficit, eſt verſiculus ſeptimus cap. v. Ep. I. Divi Johannis.
„ Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cælo Pater, Verbum, & Spi-
„ ritus Sanctus: & hi tres unum ſunt „? Profecto quis eſt, qui hic non videat tres realiter diſtinctas Perſonas, quibus una, eademque eſt natura? Quomodo enim tres illæ perſonæ unum ſunt, niſi in Unitate naturæ? Quid adverſus hoc præclarum, ac luculentum teſtimonium Trinitatis oſores temere effutiunt? Nil aliud, quam illud authenticum non eſſe, ſed aliena manu confictum. At oh miſerum deſperatiſſimæ cauſæ præſidium! Memoratus verſiculus cum ſacri Scriptoris ſcopo mire concordat, eſt tum cum antecedentibus, tum cum ſubſequentibus textibus intime colligatus; & demum ubique ſpirat Auctoris ſtylum. Quid plura? A ſæculo ſecundo ad quartum

Digitized by Google

tumdecimum uſque de illo tamquam genuino Eccleſiaſtici Scriptores conſtanter meminerunt: Quare authenticus, & tamquam germanus Johannis fœtus verſus controverſus cenſendus eſt, quidquid inverecunde crepent intemperatioris Critices Studioſi.

V I I.

73. Scriptura ſola non eſt Auguſtæ Trinitatis teſtis; ſed venerabilis etiam Eccleſiæ traditio indubiam ejuſdem fidem facit. Siquidem duo argumentorum genera, ex quibus ea deſumitur, vetuſtiſſima ſcilicet Eccleſiæ praxis, & omnium ſæculorum doctrina luce meridiana clarius Trinitatis exiſtentiam teſtantur. Quid, quæſo, innuit ritus conferendi baptiſma in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti cum ipſa Eccleſia ſimul ortus; quid publicus cultus, preceſque Deo Patri, Filio, & Spiritui Sancto ubique terrarum impenſæ, quid denique univerſalis, & publica Fidei profeſſio in tot Symbolis exarata, quam Sanctiſſimæ Trinitatis Dogma exiſtere? Rurſus quid probat fides illa, qua III. ſæculo ab Eccleſia, & a Sanctis Patribus hæreſis Sabellii impugnata fuit, qui ſolitariam in divinis agnoſcebat perſonam tribus nominibus, Patris nempe, Filii, & Spiritus Sancti donatam, niſi prioribus ſæculis a Majoribus creditum fuiſſe cum Eccleſia in Trinitatis Myſterium? Eccleſiaſtica itaque traditio illuſtre eſt, ac luculentum de Trinitatis exiſtentia monumentum, quod omnium hæreticorum audaciam, vafritiem, & impietatem revincit, atque refellit.

V I I I.

74. Hactenus de Auguſtæ Trinitatis exiſtentia. Nunc de divinis perſonis ſingillatim acceptis, quid Catholica doceat, teneatque Eccleſia, expendamus. A prima itaque exordientes Perſona, Patre videlicet, eam eſſe per ſe Deum indubie aſſerimus. Antiqui illi hæretici ab Auguſt. lib. de hæreſ. cap. LXXIV. commemorati, qui dicebant nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum Sanctum eſſe perfectum in ſe Deum, ſed ex hiſce ſimul junctis coaleſcere, a Scripturarum doctrina animum prorſus averterunt. Quam enim clara, quam manifeſta ibi reperiuntur eloquia, quæ Patrem per ſe Deum inſinuant? „ Ipſe invocabit me, ait æternus Pater de Chri-„ ſto Pſal. LXXXVIII. Pater meus es tu: Deus meus: & ſuſceptor „ ſalutis meæ „. Et Johannes ſui Evangelii initio, inquit: „ Et „ Verbum erat apud Deum (Patrem) „ Præterea nonne Pater naturam habet infinitam? Ergo eſt per ſe Deus.

I X.

75. Eadem prima Trinitatis Perſona eſt vere, & proprie Pater Chriſti. Aſſerere Chriſtum Filium eſſe Unius Dei in tribus ſub-

Digitized by Google

ſiſtentis perſonis aperta inſania eſt , ad quam neminem devenire poſse Sancti Eccleſiæ Patres opinati ſunt : „ Quis unquam , ait per- „ belle Fulgentius frag. xxxii., & lib. ix. reperiri poſſet inſaniæ , „ qui auderet Jeſum Chriſtum totius Trinitatis Filium prædica- „ re ? .... Jeſus Chriſtus ſecundum carnem quidem opus eſt to- „ tius Trinitatis ; ſecundum vero utramque nativitatem ſolius Dei „ Patris eſt Filius „. Quocirca toto cælo aberrare cenſendi ſunt , qui eo vertiginis morbo correpti docuerunt ex conſequenti, denominationem Patris Chriſti in libris N.T. Primæ Trinitatis Perſonæ tantum per *appropriationem* tributam fuiſſe . „ Quomodo autem , in- „ quit Irenæus lib. iv. adv. Hær. cap. xvii. conſtabit eis , cum pa- „ nem , in quo gratiæ actæ ſunt , Corpus eſſe Domini ſui , & Ca- „ licem Sanguinis ejus , ſi non ipſum Fabricatoris mundi filium di- „ cent , ideſt Verbum ? „

X.

76. Hæc de Patre delibaſse ſufficiat . Nunc ad Verbum Carnem factum , hoc eſt ad Chriſtum ſermo convertatur . De Chriſto itaque principio quærimus , num ipſe exiſtere incæperit , cum e Mariæ Virginis utero eſt ortus . Sociniani , quibus cordi eſt ipſius Chriſti divinitatem e medio tollere , abradere , & penitus evertere pro certo exploratoque ſtatuunt , ante Mariam Virginem minime extitiſse . Nos e contra ejuſmodi blaſphemiam ſummopere execrantes , & Sacrarum Scripturarum veſtigiis preſſius inſiſtentes credimus , invicteque propugnamus, Chriſtum Dominum ejus potiori inſpecta natura , divina ſcilicet , jam extitiſse , priuſquam e Maria Virgine naſceretur . Et ſane quid ſignificat ille Chriſti deſcenſus e cælo in terram tam ſæpe , tam frequenter in Sacris N. T. Codicibus commemoratus ; quid ejuſdem exitus a Patre , & miſſio in mundum paſſim ibidem repetita ; niſi Chriſtum priorem fuiſse illo deſcenſu , exitu , & miſſione ? Sed quod Socinianos validiſſime urget, & compellit eſt dubio procul celeberrimus ille Paulli locus Ep. ad Philip. cap. ii. „ Hoc ſentite in vobis , quod & in Chriſto Jeſu , qui cum „ in forma Dei eſset , non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem „ Deo , ſed ſemetipſum exinanivit formam Servi accipiens , in ſi- „ militudinem hominum factus , & habitu inventus , ut homo „ . Qui certe antequam formam Servi acciperet , in forma Dei jam erat , opus eſt , ut ante Servi formam in Mariæ Virginis utero indutam exiſteret .

X I.

76. Præterea idem Chriſtus eſt verus Deus, Patrique conſubſtantialis . Sociniani omnium hominum perditiſſimi poſt Arianos hocce Chriſtianæ Fidei dogma mordicus impugnant , & tamquam in Synodo

nodo Nicæna I. noviter confictum improbe traducunt adeo, ut illius nullum prius extiterit in Eccleſia veſtigium. Sed *mentita eſt iniquitas ſibi*. Tot enim, tantaque in Verbo tum ſcripto, tum tradito rationum momenta ſe offerunt, ut cordatus quilibet ullo ſine labore perſpicue deprehendat, quoslibet divinitatis Chriſti inſenſiſſimos hoſtes enormiter aberrare, eſſeque manifeſte mendaciſſimos. Hoc unum velim illi partium medii, ac ſecuri obſervent, Nicæ nos videlicet Patres nil de Chriſto defiuiſſe niſi quod & in Scripturis continebatur, & priorum ſæculorum Eccleſia perpetuo, ac conſtanter profeſſa fuerat. Itaque

Spiritus ille Deus eſt, & ſe corpore matris
Induit, atque hominem de virginitate creavit.

X I I.

78. Iidem Sociniani, aliique hujus farinæ homines definitionem de Chriſti divinitate, ac ejus cum Patre conſubſtantialitate a Concilio Nicæno conditam ægre gravateque ferunt; ac proinde illius Patres dire criminantur, vocem ὁμοούσιον male, & inconſulto adhibuiſſe. At nimis inſana eſt, nimiſque injuſta iſthæc accuſatio. Numquid enim Eccleſia; quæ eſt *Columna, & firmamentum veritis*, poteſtatem non habet novas conſecrandi voces, dum contradicentium calliditas id ſemel poſtulat? Recolant ſibi, quæſo, Sociniani ea, quibus graſſabatur Ariana lues, tempora, tumultu, ac confuſione plena; & facile intelligent quam verſipelles, quam ſubdoli, quam Sophiſtæ eſſent Ariani. Ecquis igitur non intelligit, quam utilis, quam perneceſſarius fuerit prælaudatæ vocis uſus, ut vera de Chriſti divinitate confirmaretur doctrina? Hic præſtat audire invictiſſimum fidei Catholicæ Athletam S. Athanaſium ad rem ita præclare loquentem: „ In iis verbis ex Patre eſſe, & conſub„ ſtantialem eſſe vim peremptivam Patres voluerunt contineri ad „ eludendas has argutiolas, Filium creatum, aut factum, aut „ mutabilem eſſe, aut non fuiſſe antequam naſceretur „.

X I I I.

79. Ad Liberii Summi Pontificis fidem nunc accedat oratio. De Liberio quæri ſolet in Scholis, cuinam ex tribus formulis Sirmii editis ſe ille ſubſcripſerit? Non me latet recentiores quoſdam reperiri Eruditos, qui oſtendere connituntur, eumdem Supremum Pontificem nulli prorſus harum formularum conſenſiſſe. Ultro libenterque huic adhæreremus ſententiæ, ſi cum ipſa datum nobis eſſet conciliare vetera monumenta, quæ oppoſitum adſtruunt. Quo circa melius excogitare putantes docemus, Liberium I. Sirmienſi formulæ, quam tamen in ſe ſpectatam Catholicam agnovit, atque com-

commendavit, nomen ſuum appoſuiſse. Et quidem Liberius ad Orientales ſcribens hæc habet verba: „ Fidem veſtram, & Catho-„ licam..... quæ Sirmii a Fratribus, & Coepiſcopis noſtris tra-„ ctata, expoſita, & ſuſcepta eſt..... libenti animo ſuſcepi „. At quis ignorat auctores primæ Sirmienſis formulæ fuiſse Orientales Epiſcopos, quos ea in Epiſtola Liberius alloquitur, & quorum fidem ſe ſuſcepiſse adfirmat; ſecundæ e contra Epiſcopos Occidentales, & quidem numero exiguos, Hilario teſte in lib. de Synod.?

X I V.

80. Jeſus Chriſtus ergo eſt vere Deus, vereque Patri conſubſtantialis. At divinitatis ejuſdem articulus eritne ad ſalutem neceſsarius? Simonius Epiſcopius, Remonſtratenſes, Sociniani, & demum Tolerantes omnes perfricta fronte id inficiantur. Contendunt enim, æternam ſalutem poſitam minime eſse in ſpeculativis notionibus, ſed practicis potius præceptionibus ſecundum illud Chriſti Matth. cap. XIX. „ Si vis ad vitam ingredi, ſerva manda-„ ta „. Quid ad hæc nos? Cum Catholica Eccleſia pie, ſanctequе ſentientes docemus, Dogma de Chriſti divinitate inter præcipuos, ac ſaluti neceſſarios fidei articulos eſſe recenſendum. Cur? Quia Johannes Apoſtolus, ſtabilita primum Chriſti divinitate hiſce verbis „ in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus „ erat Verbum „: Sic dein concludit: „ Hæc autem ſcripta ſunt, „ ut credatis, quia Jeſus Chriſtus eſt Filius Dei; & ut credentes „ vitam habeatis æternam „.

X V.

81. Chriſti divinitate vindicata reſtat, ut idem præſtemus de Spiritus Sancti perſona, quæ eſt tertia in Trinitate. Sociniani, qui Sacroſanctam Triadem nolunt confiteri, non deſinunt putidas etiam in Spiritum Sanctum evomere blaſphemias. Primo enim eum detrectant agnoſcere tamquam perſonam; ſed contra contendunt eſſe merum accidens, nudamque Dei efficaciam, ac energiam: Et in hoc veterum ſuperant Pneumatomachorum perfidiam, qui eumdem faſſi utique ſunt perſonam, quamquam a Filio productam. Secundo ex conſequenti inficiantur, eumdem Spiritum Sanctum eſſe Deum, Patri, Filioque conſubſtantialem: & ita cambrem, ut ajunt, coctam iterum recoquunt. Nos ergo Spiritus Sancti hoſtes pro virili aggredientes ſentimus, ac tuemur; eum eſſe veram, & proprie dictam perſonam. Numquid enim contrarium Dogma in Scripturis Sanctis ſtatuitur? Minime gentium. Ibi dicitur ille Conſolator: „ Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum (hoc eſt Conſolato-„ rem) dabo Vobis „ Joh. XIV. dicitur miſſus: „ Cum venerit

Para-

Digitized by Google

Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre ,, ibidem xv. aliis cum perſonis divinis conjungitur: ,, Euntes docete omnes gentes ,, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ,, Matth. xxviii. At hæc omnia nonniſi veræ perſonæ convenire poſſunt.

XVI.

82. Inſuper Spiritus Sanctus, quem perſonam eſſe oſtendimus, eſt verus Deus, Patri, Filioque conſubſtantialis. Hujuſce aſſerti teſtem adpellamus cum Scripturam, tum pervetuſtam traditionem. Sacra quidem Scriptura omnia, quæ Dei propria ſunt, Spiritui Sancto conſtanter tribuit: nomen videlicet: ,, Ananias cur ,, tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto? (inquit ,, Petrus Act. cap.v.) Non es mentitus hominibus, ſed Deo ,,. Opera divina, tum naturæ: ,, Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ,, Spiritu oris ejus omnis virtus eorum ,, Pſal. xxxiii. tum etiam gratiæ: ,, Unicuique autem datur manifeſtatio Spiritus ad utilita- ,, tem ,, 1. ad Cor. cap.xii. ,Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus ,, noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis ,, ad Rom. v. Demum divinum cultum: ,, An neſcitis, quia membra veſtra ,, templum ſunt Spiritus Sancti? ,, 1. ad Cor. cap. xii. Idipſum quoque præſtat traditio tum in ſuis conſuetudinibus, tum in Patrum ſcriptis. Numquid enim Spiritum Sanctum Eccleſia ſimul cum Patre, & Filio non glorificat? Numquid baptiſmum non confert formula habente Spiritum Sanctum una cum Patre, & Filio colligatum? Numquid non habet Patres divinitatem Spiritus Sancti clare, & expreſſe confitentes? Ut ab uno diſcamus omnes, Tertullianus lib. de Pudicit. profitetur: ,, Trinitatem unius divinitatis Patrem, & ,, Filium, & Spiritum Sanctum ,,. Quare credere cum Nazianzeno par eſt.

Nec rurſus deitate carens, ab eaque remotus,
Sed Patri, & nato Unigenito par prorſus honore.

XVII.

83. Spiritus Sanctus non modo a Patre procedit, ſed etiam a Filio; nam tam eſt Spiritus Patris, quam Spiritus Filii, & Spiritus Jeſu: Unde Chriſtus Joh. vi. de eo loquens ait: ,, Ille me clarifi- ,, cabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis ,,. Quæ quidem Chriſti verba nil aliud innuunt, quam Spiritum Sanctum de ſua accipere ſubſtantia; ac proinde è veſtigio ſubdit: ,, Omnia quæ- ,, cumque habet Pater mea ſunt: propterea dixi: quia de meo ,, accipiet, & annunciabit vobis ,,. Deinde Filius a Patre non diſtinguitur ratione ſpirationis activæ, quæ ſoli inſit Patri. At noſtro Anſel-

Anſelmo teſte „ in Divinis omnia communia ſunt, ubi non obviat „ relationis oppoſitio „. Profecto hæc omnia adeo clara ſunt, ac perſpicua, ut Græci primum hunc fidei articulum pertinaciter inficiantes in Florentina Synodo pacem, & concordiam cum Latinis iniverint, & concordibus animis, unoque ore cecinerint: „ „ Credimus in Spiritum Sanctum Dominum, qui ex Patre, Filio- „ que procedit „. Quamquam ea ſoluta Synodo, Marco Epheſino agente, iterum ad vomitum illi redierint.

XVIII.

84. Græci iidem magnos adverſus Latinos emittunt clamores, eoſque violatæ fidei teſſeræ petulanter accuſant, quod particulam *Filioque* injuria Symbolo inſeruerint. Sed perperam conqueruntur. Eccleſia enim, quæ eſt fidelis cuſtos depoſiti Fidei, quæque perpetuo debet invigilare, ne illud ab hæreticis diripiatur, illas poteſt Symbolo adiicere voces, quas ad hæreſes præſocandas, erroreſque profligandos aptiſſimas conſulto dignoſcit. Nonne ipſa in Synodo Nicæna I. contra Arianos vocabulum ὁμοούσιον addidit? Nonne in Concilio Conſtantinopolitano I. articulum de Spiritus Sancti divinitate contra Macedonianos Symbolo Nicæno inſeruit? Nonne in Synodo Chalcedonenſi hæc Symbolo adverſus Eutichetem adjecit = „ Conſubſtantialem Patri ſecundum Deitatem, & conſubſtantialem „ nobis ſecundum humanitatem? At hæc additamenta licite, haud repugnantibus ipſis Græcis, effecit. Cur ergo & Symbolo particulam *Filioque* ob errorem adverſus Spiritus Sancti proceſſionem graſſantem licite non appoſuit? Hæc delibaſſe ſufficiat de Patre, Filio, & Spiritu Sancto, quibus par gloria ſit, laus, & honor in ſæculorum ſæcula.

F I N I S.

Digitized by Google

	ERRATA	CORRIGE
Pag. 3 lin.	6 bonornm	bonorum
8	26 hauſis	hauſit
9	24 totius	totis
11	28 negationcm	negationem
12	7 conſcquens	conſequens
ibid.	16 putides	putidis
ibid.	29 incuſarentut	incuſarentur
ibid.	35 rum	tum
15	6 Oracnla	Oracula
28	17 primæ	prima
32	1 commendavit	commendavit Hilarius
ibid.	14 potins	potius
ibid.	33 coctam	coctam

IMPRIMATUR.

Si videbitur Rmo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

Franciſcus A. Marcucci Epiſc. Montis-Alti Viceſg.

IMPRIMATUR,

F. Hyac. M. Bonfilius O. P. T. C. Pro-Soc. P.M.S.P.A.

Digitized by Google

Digitized by Google